





5072

13.

256.

1654, 2

13

5

EXERCITATIO POLITICA
DE

REGIMINE CIVITATUM
ET GENTIVM, POTISSIMUM
RATIONE PRUDENTIÆ
LEGISLATORIÆ DIVERSO
ET SIMILI

Q V A M

FAVENTE DIVINO NUMINE

SUB PRAESIDIO

*Viri Amplissimi Consultissimi atque
Excellentissimi*


DN. IOHANNIS A FELDEN

Philosoph. & I. V. D. Mathematicum in
Illustri Iuliâ Professoris celeberrimi &c.

Publicæ disquisitioni submittit

IOCHIM ANDREAS von Bernstorff

Ad diem 11 Februar.



HELMAESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. typ.

ANNO MDCLIV.





SERENISSIMO ATQUE CELSIS-
SIMO PRINCIPI AC
DOMINO

DN. AUGUSTO
Duci Brunsvicensium & Lunæ-
burgensium,

Domino meo clementissimo,



Vod si infelicitatis genus est
quævis in rebus eximijs in-
certitudo, quæ animum in-
tima perscrutantem ubique
suspensum detinet, vel cum
metu falsitatis dimittit;
quidni infelicissimi dicendi
essemus, si nulla nobis rerum præstantissima-
rum nempe civilium doctrina suppeteret, de-
que naturâ Reipubl. ejusque regimine non
nisi conjecturæ possent capi? Iusti certè ve-
(?) 2 reque

rèque utilis in Republicâ firma nobis haud
constaret ratio. Ast fontem certissimæ, quo-
usque id natura subjectæ materiæ permittit,
scientiæ continet Philosophia civilis. Etiam
historia, fateor, *magistra est vita; disciplina
exercitatioque ad res civiles*: estque in eâ hoc
præcipuè (ut cum Livio loquar) *salubre ac fru-
giferum, omnis te exempli documenta in illustri
posita intueri: ut inde tibi tuæque Reipublicæ
quod imitere capias; inde scædum inceptu, scæ-
dum exitu quod vites.* Veruntamen varias
illa ob causas magistra minùs fida, minusque
perfecta est ipsâmet scientiâ Politicâ; quod
Historici affectui indulgentes aut inservien-
tes tempori, non rarò perperam de rebus ju-
dicia ferant; vel illorum effata ob planè ne-
glectam causarum investigationem firmita-
te solidâ haud innitantur: quòdque ea quæ
ad essentiam Rerumpublicarum unicè spe-
ctant, illi vix attingant. Interim non cujus-
vis est scientiam sibi aut universalia ex histo-
rijs condere: quòd si enim modum quis ex-
struendorum principiorum tantummodo
per-

perpendat, summæ operositatis confessionem
 ei res ipsa extorquebit: præcipuè autem in de-
 finitione inquirendâ illa cognoscitur; cùm sit
 arduum valdè, invenire ea quæ rei definiendæ
 ita sunt propria, ut in nullam aliam transfer-
 ri possint, quæve sunt individuis sub unâ spe-
 cie comprehensis communia. Universalia
 quoque colligere ex singularibus, res est labo-
 ris plena: sæpè enim veras rerum causas igno-
 ramus, vel non congerimus exemplorum
 convenientem numerum; unde facilis hisce
 in omnibus est lapsus. Quamvis autem quæ
 quotidie veniunt peragenda negotia, non for-
 tasse exactam aliquam scientiam desiderent,
 quòd tamen hæc aliquando usui esse possit, ra-
 tio magnorumque Virorum consensus mihi
 persuadent. In nobilissimâ ergo hac Philo-
 sophiæ parte, utpote inquâ conjunctâ cum
 Morali non minùs legum nostrarum, quàm
 omnium bonorum civilium fundata scientia
 est, qualem etiam cunque sub inclutæ Vestræ
 Seren:^{iss} Academiæ Viris Clarissimis operam
 mihi ponenti, obvenerunt quædam antehac

(:) 3

diffi-

difficultate laborantia, nec tamen minùs con-
juncta cum utilitate maximâ ; quorum ut
præcipua, prout ea tum soluta mihi fuere, in
chartam conjicerem, atque ventilanda exhi-
berem, fore è re meâ visum est. Quòd verò
exercitium istud Academicum Illustrissimo
Vestrae Seren.^{tis} nomini consecraverim, ratio-
nes curiosè conquirere aut è longinquo pete-
re, nullo modo necessum, sed eas quam opti-
mè in numero habeo. Ea enim Seren.^{tis} Ve-
stræ erga me insignis clementiæ exstant argu-
menta, ut Ipsius beneficio à teneris mihi in tam
illustri Aulâ locoque concessio, quæ sunt stu-
diorum meorum hæc initia, me debere meri-
tò gloriari; & si quæ erunt illorum progressus,
eos ob continuatam hucusque beneficentiam
istam præclaram, summo sibi jure Vestra Sere-
nitas vindicare queat. Imò sunt hæc & alia
quibus afficior, tanta, ut verba meritis impa-
ria sentiam: hinc satius fortasse fuisset, silentio
venerari Vestrae Seren.^{tis} benignitatem, magis-
que consultum, majora offerendi facultatem
expectare, quàm munere tam leviculo in Au-
gustissi-

259.

gustissimum Ejus conspectum prorumpere. Sed enimverò tacuisse omnino religio mihi fuerit; tum non sum ignarus clementissimi Seren.^{ius} V. in tanto fastigio erga humillimos quoque favoris, qui quantò ampliora mereatur, tantò modica devotissimâ mente oblata benigniùs interpretatur. Cura tamen probandi aliquando luculentiùs in Vest. Seren.^{icm} meam pietatem, & gratitudinem humillimam, nullo non tempore apud me excubabit. Quod verò unum jam possum, DEVM IMMORTALEM supplex precor, ut Seren.^{icm} Vestram universæ Germaniæ & cum primis singulorum subditorum commodo florentem felicemque unâ cum Illustrissimâ Domo perennare jubeat.

Vestræ Seren.^{ius}

submississimæ devotionis
servus

IOCHIM ANDREAS von Bernstorff
A. & R.



gustissimum Eius conspectum promittere
sed carnavero tacuisse omnino religio nihil
facit: cum non sum ignarus claudensissimi
seren. V. in tanto sa. sigio eigt. humillimas
quodae favoris, qui quanto sapienter more
tue tanto modis devotissimam miter oblat
benignis interpretatur. Cuius tanta pro
badi aliquid luculentissimam V. est. seren.
tanta pietatem, & gratitudinem humill
tiam, nullo non tempore apud me exopta
bit. Quod vero aucti iam possunt DEVM
IMMORTALEM simplex precor, ut seren.
V. estiam unaverit. Germanis & christianis
singulorum sapientium comitudo horum
tam feliciterque sua cum illustissimis domo
parare habeat.

V. est. seren.

submissimam devotissimam
seren.

IOCHIM ANDREAS von Gemhördt
A. B.





DE
REGIMINE CIVITATVM
ET GENTIVM
THESIS I.



Nulla non scientiarum artiumque
suâ laude est digna, illæ enim ex
verâ ratione quasi enatæ ad bene
hominis esse quiddam addere omnes student. Ejus tamen quâ toti Reip. consulitur, quâ salutis quâ felicitatis huic acquirendæ atque conservandæ via ostenditur præstantiam, quam præ cæteris habet longè maximam, neminem credo in dubium vocaturum.

Nam ex sententia summi Philosophi *l.1. Eth. c.1. & quas in civitatib. scientias esse oporteat & quas quisq. discere debeat, & quatenus, illa præscribit. Facultates etiam illas, quæ summo in honore sunt, ut artem imperatoriam & æconomicam; & bene dicendi artem huic subjectas esse videmus &c.* Quantumcunque verò & quàm augustum sit eidem scientiæ quod tribuit nomen, alio tamen in loco sapientiam illi anteferre sibi quasi contrarius non dubitat idem Aristot. argumento quidem ex parte invalido, quasi non rerum in mundo existentium optimum quiddam & nobilissimum sit homo, sed illa ipsa ex quibus hic mundus constat: de quo nos à

A divino



divino Numine edocti aliter sentimus. Interim si, quod dicitur, ad divina sese extendit sapientia, primas huic concedendas extra omnem dubitationem ponimus. Quicquid autem illius sit, litem hanc meam facere, aut extra chorum, quod dicitur, saltare non lubet; quin potius quam ad omnem Reip. moderationem adeoque integram hanc artem exercendam universaliter requirantur, explorare, si id fieri queat, paucis tamen, operam dabo.

II. Omni autem artifice cui non in speculando subsistere sed ad ipsam progredi operationem est propositum, duo tenenda videntur, artis videlicet, quam proficetur, quantum ad agendum requiritur, peritia; præterea ut unumquodque in quo versatur singulare cuique artis præcepta applicaturus est, optimè habeat cognitum. Ita Architectum, item Medicum & artis & objecti cuique proprii gnarum esse oportet. Neque fortè re optimè pensatâ, ejus, qui Reip. invigilat, alia videtur esse ratio: est enim omnium consensu ejusdem artificium nil aliud, quam prudentia civilis, quâ instructus finem suæ Reip. intelligit, & quæ media ad illum in singulis partibus adipiscendum conducant, inquit atque invenit. Objectum deinde in quo operari vult, ipsam dixeris Rempubl. quod enim Medico homo, quod Architecto domus, omnisque ejus materies, id sine dubio Politico erunt Respubl. & singula ejus negotia. Neque alienus à nobis Cic. l. 2. de Oratore, dum inquit: *Ad consilium de Republicâ dandum caput est nosse Rempubl.* In cognitione tamen hujus non tam leges publicæ quam administratio ipsa attendenda, monente Philosopho l. 4. Pol. c. 5. Pertinet huc quoque morum & ingeniorum civium, regionis itidem, vicinorumque notitia.

III. Prudentiam quod attinet, ex duplici illa cognitione

267.

tionem constat; universalium scilicet, quæ scientia complectitur, & deinde singularium, quæ usus & experientia supplet (non enim omnem singularium notitiam sub Reip. quæ & ipsa singularis, cognitione comprehenditur, inde fieri manifestum arbitror, quod prudens quis dici reverà queat, cui tamè hæc vel illa Resp. planè adhuc sit incognita) quarum neutra abesse debet nec potest: Non enim illam solum perficitur; quippe cum omnia negotia humana adeoque non minus civilia multis imò infinitis penè modis variant, quæ singula propterea nec certis regulis adstringi, neque scientiam aut numero includi possunt, præcepta enim finita esse debent & certa: apparet utique multorum singularium notitiam tum ad comparandam scientiam tum ad agendi aptitudinem experientiam consequendam esse; id quod Aristot. indicat *l. 6. Eth. c. 8. In rebus etiam*, inquit ille, *singularibus prudentia vertitur, quarum cognitio usu habetur*. Imò hanc ipsam singularium cognitionem ille tam necessariam ducit, ut etiam alteri manifestò præferat & vel utramque acquirendam esse suadeat, vel hanc, singularium scilicet potius, quam aliam solam, *cap. 7. d. l.* Quam sententiam ipsa firmat experientia, multosque usu tantummodo rerum peritos, causarum licet ignaros, benè satis Reipubl. administrare testatur. Verum licet cognitioni isti singularium multum tribuendum sit, non tamen inde conficitur, eam rem omnem explere: nec defunt argumenta, quibus alterius, quam nominavi, partis æqualis necessitas, & eum qui solam sit instructus experientiam perfectè prudentis nomen haud mereri, demonstrari possit. Multa enim veniunt in Reipubl. peragenda, quæ quis nunquam sive propriam sive alienam experientiam compertus est, tum verò experiendo antequam redderetur certus, in extrema sæpe conjicienda esset pericula Reipubl. prout egregiè

giè differit Clariss. D. Conringius in tractatu de Civili prudentia. Multorum præterea eventuum causæ te latebunt, si præter experientiam alterius rei omnis sis inscius, quæ idcirco nec satis evitari poterunt. Quapropter certè aliquâ opus est arte seu scientiâ per quam addiscantur quæ propriâ sagacitate aliàs ægrè aut nunquam animadverti, neque fortassis per vitæ brevitatem observari possunt, cap. ult. lib. ult. Eth.

IV. Ipsa porrò cum non unius sit generis prudentia, species ejus exponendæ erunt, ut secundum eas omnis deinceps tractatio institui possit. Inter illas autem eminet Legislatura, propterea ἀρχιπρωτοβουλή Aristoteli nuncupata 6. Eth. 8. quoniam leges tam privatæ quàm publicæ præcipuum sunt, quibus Reip. salus innititur, fulcrum. In legibus enim inquit ille l. 1. Rhet. c. 4. posita est civitatis salus: quin constitutionem earum inter præcipua, de quibus publicè consultari solet, eodem loco refert. Et cum omnis consultatio prudentis fiat mediantibus syllogismis, quorum propositio altera universalis, altera singularis existit; universalis verò quæ vel semper vel plerumque ita se habent ad scientiam quandam, quâ mediante cognitio eorum perficitur, pertineant, hinc fortasse dabitur quædam scientia legislatoria quæ universalis circa hanc materiam nobis suppeditet: ac talem dari inde evincitur: etenim male consulisset hominum generi natura, quæ certam & firmam rationem, summum humanæ sortis bonum in totam aliquam communionem civitatem nimirum introducendi, eidem denegasset: & verò continetur ea libris politicis ab Aristotele nobis relictis, id quod ostendunt c. ult. l. ult. Eth. cap. 1. in fine l. 4. & cap. 5. l. 6. Polit. ii. c. 4. l. 1. Rhet.

V. Hinc jam de ipso fundamento, quod scientiam nobis exhibet legislatoriam, de Politico nimirum opere
Aristot.

262.

Aristot. necessariò dicendum erit: præter hujus enim scripta & pauca quædam veterum aliorum, scientiæ hujus nihil nobis suppetere usque adeo notum est, ut probari non egeat; quæ enim à Bodino alijsque nova sunt addita, scientiam minimè attingunt, vel certè parum. Direxit Aristoteles, quemadmodum videmus, omnia in politicis suis libris ad civitatem, ejusque tum institutionem, tum conservationem, & quidem hanc ipsam omnium naturalium societatum voluit maximè naturalem, maximequè esse perfectam: cum verò hæc ipsa dubijs non careant, & à plurimis etiam tanquam falsa sint impugnata; operæ pretium procul dubio fiet, si paulo altius hæc res atque primo quidem loco quid propriè civitatis nomine veniat, indagetur, certum etenim est, naturâ ejus non intellectâ, nullum nobis usum ex omni, quicquid est politicæ doctrinæ, tutò sperandum esse. At, quod fatendum, obscuritatibus haud exiguis id ipsum involutum est: ingenij itaque exercendi gratiâ in veritatem ejus ductu post Philosophum sine exemplo accuratum, Excellentiss. Dn. Præsidis inquirere animum induxi, neque id discere erudiri que cupienti vitio à quoquam versum iri existimo. Extenditur vulgò vocabulum civitatis non solum ad mediocrem aliquam multitudinem, locum, prout requiritur ab Arist. *l. 2. c. 1. & l. 3. c. 9. Polit.* incolentium eundem; verùm etiam ad tam amplam hominum copiam, quæ totâ aliquâ regione, dissimilibus interdum moribus ac institutis continetur. Exinde factum est, ut quæcunque de civitatibus ille demonstravit, omnibus etiam maximis Imperijs (ita voco gentes quæ uno regimine cohibentur) ex æquo convenire, & vicissim quæ incommoda sequi hæc societates deprehendebantur, communia cum civitate crederentur.

VI. Verum enim vero non invideri quidem potest magnis istis statibus Reipublicæ nomen, aut ipsorum bene esse ipsis denegandum: at nec inficiabor à civitatibus, quas informare Philosopho propositum, multum eosdem differre. Potest id neminem qui animum ad hoc intenderit latere: quamvis enim definiat civitatē per incertam quandam multitudinem, nimirum tantam quanta satis sit ad copiam plenam ac refertam, nihilque foris requirentem rerum ad vitam degendam necessariarum *l. 3. Pol. cap. 1.* cum tamen ille *l. 1. c. 2.* originem & naturam civitatis patefacturus, postquam omnes, ex quibus ea componitur, minimas societates recensuisset, multarum tandem domuum colonias seu vicos tanquam proximam materiam ex quā civitas coalescat, ultimo loco ponat, *libro etiam 4. cap. 3. Pol. & l. 1. Oecon.* dicat, civitates ex domibus constare, facile inde patebit, præter familias & quidem earum non quemvis ingentem numerum, quod deinceps porro ostendetur, ipsum civitatis nomine nihil comprehendisse, neque ad ampliorem quandam societatem esse progressum. Hæc quidem sola declararent quā sit dissimilis ratio illius societatis civilis, quā de agunt politici isti libri aliarumque Rerumpublicarum, quæ non ut illa familias tantum, verum etiam multas civitates & provincias integrasque nationes ambitu suo ut plurimum complectuntur, nisi clariora adhuc vestigia per totum opus politicum exstarent, quæ diversitatem inter utrasque intercedentem arguerent.

VII. Videre enim licet, distinxisse Aristotelem ubique ab invicem vocabula Gentis ($\epsilon\theta\nu\varsigma$) & civitatis ($\pi\acute{o}\lambda\epsilon\omega\varsigma$) idque statim *cap. 2. l. 1.* ubi principio, ait, *civitates sub Regibus vixisse & nunc etiam gentes.* Evidentissimè id probatur ex *cap. 3. l. 3.* ubi de proprietatibus civitatis differens,
Baby-

263.

Babylonem inter eas numerat ob magnitudinem immen-
sam, quæ gentis potius, quàm civitatis circumscriptione continean-
tur. Et l. 7. cap. 4. Eam civitatem quæ ex nimium multis con-
stat, inquit, esse quidem rebus necessariis instructam suisq; bonis
contentam ut gentem, sed non ut civitatem vid. c. 13. & 14. l. 3.
cap. 2. l. 7. Pol. it. c. 1. l. 1. Eth. Itaque lib. 2. varias Respubli-
cas examinans ad alias quàm civitates non procedit, idem
ipsi in toto propemodum opere observatum. Quis non
præterea videat, multa ab Aristot. tradi, quæ magnis impe-
rijs parum aut nihil conducant, cujusmodi exstant præ-
cepta quamplurima, ut de publicis convivijs & ludis insti-
tuendis. Cautio de prohibendo, ne quis usque à certo lo-
co ad urbem agrum possideat, quò cives ad agriculturam
impellerentur. Divisio eorum, quæ ex vectigalib. pro-
veniunt, inter plebem, ne nimia egestate prematur. De
eligendo loco apto in quo Oligarchia constitui possit, &c.
Nimis perspicuè sanè id apparet ex magistratib. in civita-
tib. constituendis l. 6. Pol. c. 8, quorum quidam foro, ali-
us ædificijs reficiendis, nonnulli urbi custodiendæ, alij
morib. civium, aut mulierum disciplinæ debeant præfici,
quos ad solam civitatem, non ad gentis imperium perti-
nere, nec minus multa dari magistratuum genera hîc o-
missa, quæ tamen imperijs convenient, quis non fatebi-
tur? Imo nec species Rerumpublicarum planè quadra-
re gentibus, pro eo verò ipsa loquitur experientia, neque
enim quas facit Aristot. civitatis, eadem simpliciter gen-
tis sunt partes. Aliter enim quàm in divites atque pau-
peres, agricolas, mercatores, artifices inque operarios dis-
pescenda esset Resp. quæ in aliquâ gente est constituta.
Verùm dubitet quispiam quare inter Regni species con-
numeraverit eam quæ gentis videtur propria, Regnū ni-
mirum Barbaricum? Num fortè in Regnis peculiare obti-
net,

net, aut an cognita habuit tantum ex gentium Rebuspublicis Regna, coeteras ignoravit? Et in Regiam quidem formam magis quam in aliam quamlibet proclives esse integras nationes, ratione & experientiam haud videtur destitui, quod infra attingetur. Interim & alias hodie formas in ijs esse receptas vulgo est notissimum. Quamvis verò, quod alterum attinet, Respublicæ in gente Democraticæ aut Oligarchicæ tum temporis fortè non exstiterint, Philosophi tamen tanti, omnia penè humana affecti speculationibus ignotæ minimè manere potuerunt: quare potius exempli loco Regni hanc speciem attulisse censendus, quam animo exinde demonstrandi. Nusquam enim peculiaria de tali regno tradidisse, verum omnia ad civitatem traxisse deprehenditur. At nec solum ab Aristotele sed etiam Cicerone discrimen illud inter gentem & civitatem observatum: Ille enim *l. 1. Offic.* postquam de Societatibus humanis deque universalissimam earum multa præmisisset, his verbis pergit: *Gradus autem plures sunt societatis hominum. Ut enim ab illa discedatur infinitate proprior est ejusdem gentis, nationis lingua, quæ maxime homines conjunguntur. Interius etiam est ejusdem esse civitatis. Multa enim sunt civibus inter se communia, forum, fana, porticus, via, leges, jura, judicia, &c.* Idem cum hoc dicit, *l. 3. de LL. in pr. Sine imperio nec domus ulla, nec civitas, nec gens, &c. stare potest.* Ex quibus ad oculos patet non pro iisdem, sed distinctis civitatem & gentem ab utroque esse habitas.

IIIX. An autem reverà etiam natura utriusque sit diversa, ex fine earum optimè licebit dijudicare, eademque operam ex veritate nata sint nec ne, quæ Aristoteles civitatis perfectioni tribuit, cognoscetur. Natura igitur homini aliquam in hac vitâ felicitatem concedens, tale voluit ab eo vitæ genus coli, in quo commodè hanc obtinere

tinere posset. Cum autem nec domestica, nec inter aliquot familias unâ habitantes, omnium autem minimè cujusque privata & solitaria vita ad id efficiendum par esset, duxit illa homines ad prolixiorē quandam & quidem ejusmodi societatem, cui nec bonorum externorum sufficientia, neque ordo, cujus ipsa amans in primis est, neque alia ad beatam vitam pertinentia deessent, hæc autem est civilis societas. Finis proindè veræ civitatis est bene vivere, & beatitudo humana *1. Pol. 2. & 3. Pol. cap. 9.* Atque hæc ipsa virtuti consentanea vita, tantâ bonorum copiâ instructa ut particeps esse possit virtuti congruentium actionum *l. 7. Pol. cap. 1.* Nunc porrò videndum, an idem gentium societatibus, qui civitati propositus sit finis, an verò diversus; & si quidem alius deprehendatur finis, alia quoque atque alia erit utique utriusque natura & essentia.

I X. Et videri quidem haud immeritò possit, gentem quâ talem ad recipiendam hujusmodi felicitatem, qualis in perfectam civitatem introduci intenditur, non usquequaque, (id quod paulò post ostendetur, & ut in antecessum jam concedatur peto) esse aptam, & quidem propter ipsius societatis, non ob eorum tantum qui in eâ vivunt naturam. Aliàs enim & civitas quædam beatæ vitæ incapax esse potest, non tamen societatis civilis sed hominum ipsorummet culpâ. Quod si verum illud est, nec finis ejus societatis quam colit gens, cum fine civitatis coincidere videtur, adeoque nisi eam planè inutilem dixeris aut frustrâ institutam, habebit peculiarem quendam ob quem inita sit finem. Deindè quemadmodum omnium animalium, instrumentorum, aliarumque rerum teste Aristot. *7. Polit. cap. 4.* aliquis magnitudinis est modus, quem si aut non consequun-

B tur,

cur, aut verò nimium excedunt, usum, cui sunt destinata, amplius non præstant, sed ferè naturâ suâ omninò privantur; ita & civitatis est proportio, & aliquod etiam ad quod efficiendum destinata est opus. Exemplum de hoc elegans suggerit Aristot. in navi, istam, si palmi quidem unius longitudinem non superet, aut verò ad duorum usque stadiorum longitudinem sit extensa, non esse omninò inquit navem, intra quandam verò constitutam magnitudinem, modò propter parvitatem, modò propter magnitudinem navigationem reddere incommodam. Quòd si ergò civitas quæ magnitudinis modum excessit, non amplius civitas manet, sed gentis quasi nomine appellanda venit, uti Aristot. visum fuit locis suprâ *thes.* 7. allegatis; quantò magis ingentem populum per diffusa multa loca dispersum, (cùm tamen locus unius civitatis unus sit, teste eodem *2. Pol.* 1.) à civitate etiam quoad ipsam naturam differre dixeris, utpote qui opus civitatis perficere amplius nequit. Et verò clara iterum sunt verba Philosophi huic sententiæ adstipulantis, *9. Eth.* 10. *Neque ex decem hominibus constare possit civitas, neque centum hominum millia civitas etiam adhuc fuerint.* Finis autem imperij à gente aliquâ constituti potissimus, quantum conjicere licet, est securitas, cum enim quidam non contenti civitatis suæ finibus, alios invaderent, ac sibi subigerent, creverunt horum in immensum ad eò ditiones, ut alij quòvis vi repellere possent, coacti sint & ipsi in gentis totius societatem consentire, & prout hodiè sunt mores, civitates nisi gentibus sese jungant, aut ipsi fœdera invicem feriant, propellendis potentiorum injurijs ferè non sufficiunt. Securitas enim non ita ad copiam bonorum nihil foris requirentem, quæ est finis civitatis, uti possit videri pertinet: quia hæc potius instru-

instrumenta vitæ beatæ intervientia tantummodò includit, *argm. cap. 8. l. 6. Polit.* Securitas verò omnibus modis perfecta, multa postulat præter ea quæ Aristot. in optimâ etiam Republ. exoptat. Nihilotamen minùs idem, munitiones ad belli pericula propulsanda, *7. Polit. 11.* item ut sint tuti ab externâ injuriâ vires præsto vult civitati esse *2. Polit. 7.* Quid ergò tandem, num gentium societas propter civitatis, illius intellige quam pro perfectissimâ Aristot. habet, felicitatem inquit, aut num foedera & bellicæ armorum conjunctiones civitatem ab imminente hoc periculo liberare debent? At hic affirmare nihil ausim.

X. Civitatem verò esse perfectiorem societate gentium inde constare potest, quoniam in illam solummodò introducere Republ. in quâ fruamur verâ felicitate humanâ, in hanc non æquè licet. Est enim civitas ea demum verè appellanda, quæ perfectæ virtutis curam habet. Fieri autem non potest, ut virtus à multis perfectè colatur, alterque de alterius bonitate sit sollicitus, nisi unum eundemque locum incolant *3. Polit. 9. & d. cap. 1. l. 2.* Deinde quemadmodum artificibus, ut opus quoddam egregium conficiant, aptam ad hoc materiam suppetere oportet, ita quoque ut felix sit civitas, non ex quâvis debet esse composita multitudine, sed ejusmodi, quæ ad virtutem flexibili sit ingenio prædita. In gente verò aut natione integrâ æquali naturâ tot homines inveniri fortasse erit impossibile: agnovit enim Aristot. etiam inter Græcos, quos tamen præ reliquis populis omnium commodissimos existimat & ad belli & ad pacis virtutes exercendas, haud exiguam differentiam, aliosque simplices, alios verò acri ad cogitandum ingenio, & fortitudine instructos esse *7. Polit. 7.* statuit. Prætereà ut tam imperantes, quàm pa-

rentes officia sua benè, & prout decet obeant, magistratus merentibus distribuuntur, judicia item rectè sese habent, in optimâ Rep. necesse est cives non esse adeo multos quin ab imperentibus cognosci possint. Denique si ne fieri quidem potest, ut civitas nimis frequens benè administraretur legibus, propterea quòd ordinis non possit facile esse particeps; leges autem in Republ. sunt ordo quidam *7. Polit. 4.* minùs id in amplâ gente obtineri posse dixeris, in quâ non modò ingens multitudo, sed locorum immensa distantia notitiam civium prohibet, adeoque ordinis exactam observantiam impedit. Adde quòd etiam institutio liberorum in quâ tamen permultum ponendum, & quam ad cujusque Reip. indolem accommodatam & publicam esse requiritur, in gente non ita ex voto queat succedere.

XI. Gentem igitur à civitate essentiâ diversam societatem esse ex allatis modò perspicuum, ni fallor, reditum fuit. Hinc verò oritur quæstio, an etiam ad gentis regimen extendat sese scientia legislativa: & hoc quidem posito, num eadem conveniat cùm scientiâ legislativiâ civili, an verò ab ejus naturâ in totum recedat? Nec vanæ sunt dubitationes hæ: notum est enim ex Analyticis, scientiam nisi circa naturale objectum non dari. At gentis societas magnam fortassis partem ex instituto & ordinatione humanâ dependebit: tum verò in rebus essentiâ & fine distincto præditis, artem eandem quærendam haud esse, sic satis est veritati congruum, & sæpiùs ita argumentatur Aristot. *l. 1. Polit.* Necessum itaque erit eam rem excutere, & quid quàm maximè vero videatur simile rationibus adductis indicare. At cùm omnis hæc res sit admodum impedita atque ardua, veniam hoc magis mihi polli-

polliceor sicubi actu rem tangere minus licebit. Largiendum autem existimo, non ita à naturâ, quàm ex rerum humanarum necessitate, quod à nonnullis civitatibus male tribuitur, gentium societates originem traxisse. Nam veram felicitatem & in solâ civili societate obtinere licet. Aliquid tamen naturalis propensionis & in gentium societatibus deprehendi negare non audeo. *Si enim qui sunt unius nationis, lingue, inquit Cic. l. jam tum allegato l. de Offic. quam maximè conjunguntur.* Et cum omnis societas imitetur formas perfectissimæ societatis, civitatis nimirum, etiam in gente imagines Rerumpublicarû deprehendi necesse est, uti pluribus infra demonstrabitur, non autem quod natura tanquam perfectum quiddam eas intendat. Quod si enim ipsa natura voluisset Rempubl. inter gentem à multis civitatibus constitui, non esset perfectissima civilis societas, quippe quæ finem nondum esset adeptæ ultimum.

XII. At ne sic quidem omnis scrupulus erit evulsus: dicendum enim nullo modo neque sine ingenti injuriâ videtur, virtutem omninò ab imperiò exfulare, iisque esse neglectui. Quin econtrariò ubique bonarum legum usum in hisce maximum, nec minus in vitia quæ Rempubl. lædunt, atque humanam felicitatem evertunt, graviter animadverti cognoscimus, perque hoc virtutem præcipi dum enim pœnis afficiuntur vitia, virtutes ipsis contrariæ præcipiuntur indeque efficeretur, contrarium ejus quod supra latè fuit probatum, nempe inter gentem & civitatem discriminis nihil intercedere, aut illam æquè esse perfectam. Res ergò ita expedienda est, atque virtuti in magnis imperijs locus quidam concedendus, cum non rarò civitatibus, quæ non sunt optimæ, ratione illius vix quicquam concedere videantur. Imò omnis etiam pessima

B 3

socie-



Da
societas, ut latronum sine quâdam virtute subsistere nequit; quomodo ergò illa quam quodammodo natura copulat? Illud utique constat, talem Rempubl. non meram esse ejusmodi bellicam societatem, neque ob commutationes solùm initam, qualis mentionem facit Aristot. 3. *Polit.* 9. quæque ex solâ conventionem dependet. Non enim sunt in hac, quemadmodum in illâ communes magistratus, neque ut ne vitijs affecti sint foederis participes una atque altera pars laborat: sufficit enim ibi, alteris ab alteris injuriam non inferri & pactis stari. Interim virtus uti in societatibus omnibus alia atque alia est, pro fine cuique proposito; ita & hic ea, quæ à gente ut gente, non prout est fortè in civitates divisa, exercetur, non omninò eadem est atque virtus civitatis. Ad hoc enim, uti illa conservetur societas, cum primis concordia aut amicitia quiddam simile; deinde justitia particularis, ipsa quoque religio maximum momentum afferunt. Vnde cum sit quodammodo naturalis gentium societas, legibusque virtutes præcipientibus indigeat, quamvis, uti dictum, & hoc etiam certo modo, concludendum videtur, nec scientiam omnem legislatoriam ab illâ esse alienam.

XIII. At qualis sit illa scientia quæ gentem regit, id jam ulteriùs enucleandum venit. Sit autem licet peculiaris huic finis, attamen & finem civitatis ea ex parte amulatur, multa que ex civitate instituta usurpat, nam & ordine in magistratibus, judicijs, &c. adeoque Reipubl. quâdam formâ ejusmodi imperium gaudere manifestum est. Ut proinde scientia legislatoria civilis, illis Rebuspubl. quin possit per analogiam accommodari, saltem quoad hæc quæ cum civitate habet communia, minùs rectè dubites: atque hoc ratione demonstrari potest. Fieri enim
con-

267.
consuevit plerisque in rebus, ut quæ sunt imperfectæ, earum, quæ in eodem genere perfectissimo gradu sunt constitutæ, similitudinem quandam atque imaginem retineant; idque inductione probatur: nam & in brutis cernere est simulachra rationis, virtutis, actionisque humanæ. In ipsis quoque negotijs hominum hoc obtinet; sumamus exemplum à contractibus, à naturâ ut sint indigentia explendæ medium introductis. Eorum quippe nonnulli certam naturam habent & nomen, unde quid in ijs iustum, cognosci possit, quidam verò certam naturam non habent, interim priores istos imitantur: contractus enim innominatus *Do ut des* similis est Emptioni venditioni: *Facio ut des*, Locationi conduct. &c. In societatibus humanis idem usuenire deprehendimus, civilem enim tanquam perfectissimam reliquæ omnes imitantur, ita inter socios quoscunque accidere solet, ut ordinem quendam Reip. similem observent. In primis egregiè de societatibus domesticis hoc probat Aristot. *8. Eth. 10.* Et patris in liberos imperium, Regni præ se speciem ferre ostendit, domini in servos cujusdam Tyrannidis. Conjugum autem, inquit ibidem, societatem referre quam proximè optimatum imperium, &c. Nec verò aliter ad civitates se habent imperia: sunt enim & hæc illis minùs perfectæ. Ad civitatis tamen perfectionem præ reliquis societatibus omnibus maxime illa accedunt, unde etiam magis civitati similia existunt. Ac ejusmodi analogiam vastorum imperiorum ad civitates concedi necessum est, quandoquidem ipse Philosophus in gentibus Rerum publ. formas agnoscit *3. Polit. 14. 3. Eth. 3.* easdem verò à civitatibus diversas existimat; aut malè de subjecto minùs universalis de civitate nimirum demonstrasse arguendus esset, cum laxi-

orad.

Or adhuc societas quæ Reip. sit capax, utpote gentis inve-
niatur. Quò autem hoc ita sese habere reipsa pateat, non
abs re fuerit, præcipua hujus scientiæ capita, & quid ejus
gentium societatibus applicari possit quidve non, consi-
derare.

XIV. Et cum legislatoris præcipuum munus sit
Reipubl. ab initio constituere & legibus firmare, aut cor-
rigere eam quæ minus rectè se habet; hæc verò præstari à
nemine possint, qui quot sint Rerumpublicar. genera, aut
quæ quibusvis Rebuspubl. salutaria aut exitiosa existant,
ignoret, quod testatur Aristot. 4. Polit. 1. 1. Rhet. 4. 6. Pol. 5.
Videndum enim est quæ quibus convenient Respublicæ, &
pro Reipubl. ratione leges sunt ferendæ. Ideò partes
scientiæ legislatoriæ insignes cœterarumque velut bases
habendæ sunt illa quæ de speciebus Rerumpb. tractat, do-
cetque quot eæ sint in universum, & quomodo ab invicem
sint dignoscendæ, quâ non probè intellectâ nec reliqua
applicari possunt, atq; ea quæ mutationes & conservandi
modos exponit. Quapropter quædam, (non enim omnia
exactè persequi hujusce loci arbitror) de formis Rerumpb.
in civitate ac in gentibus existentibus disseram, &annon ex
fundamentis politicis ratio harum ad minimum per simi-
litudinem quandam dependeat, apparebit. Respubl. au-
tem cum sit ordo civitatis, sitque hæc civium multitudo;
quinam tales reverà vocentur meritò præmittetur. Ci-
vis ergò est qui magistratus indefiniti (uti loquitur Aristot.
3. Polit. 1.) est particeps: hic porrò magistratus judicandi &
consultandi potestatem in se continet. Unde Respubl. de-
finitur 3. Pol. 6. *ordinatio ac descriptio cum aliorum civitatis ma-
gistratum, tum ejus maximè qui potestatem atque auctoritatem
in civitate habet omnium maximam; Respublicæ itaq; partes
tres*

tres sunt, pro quarum differentiâ formæ quoque inter se differunt, & qui de ijs participant veri cives appellandi sunt, harum una ad judicia, altera ad magistratus, (strictè sumpto hoc vocabulo,) tertia ea quæ præcipua est, ad consultationem de summis Reip. negotijs pertinet 4. Pol. 14. Atque hæc quibus concessa sunt, vel communem eorum quibus præfunt utilitatem, vel propriam attendunt; hinc duplex nascitur imperium, quorum illud rectum & civile, posterius herile & aberrans dicitur 3. Pol. 6.

XV. Necessè autem est in rectis summam hanc auctoritatem obtinere aut unum, aut paucos, aut verò omnes: atque imperium quod unius virtute præstanti, quiq; parentium utilitati prospiciat, committitur, Regnum audit; quod paucis talibus, Aristocratia; multorum verò seu omnium in commune consulentium potestas Politia vocatur. Quemadmodum autem virtuti contrarium est vitium, ita singulæ Respp. opposita habent vitia, in quæ nonnunquam prolabuntur. Regno enim contrariatur Tyrannis, in quâ unus in subditis tanquam servis dominatur: pauci divites non multitudinis simul, sed suam utilitatem procurantes, Aristocratia contrariam constituunt Oligarchiam: & vicissim plebs suæ tantummodo salutis intentæ, efficit Democratiam.

XVI. Cùm ergò divitiæ sint vera Oligarchia requisita & simplicitet Respp. in quâ virtute præditi imperant, Aristocratia Aristoteli dicatur, non minùs tamen divites posse eligi commune bonum qui quærant, nemo inficias ibit. Vnde si tale quid eveniat, qualis sit vocanda Reip. forma in dubio videtur esse. Verùm quemadmodum in quovis genere quoddam est primum & perfectissimum ad cuius proportionem cætera æstimantur (ita amicitia una est

C

per-

perfectissima species quæ ex honestate oritur, longè ab ea recedentes sunt quæ ob utilitatem & ob jucunditatem ineuntur, adeò ut nec amicitia nomine dici reverà mereantur) pari ratione de Rebuspublicis statuendum, quarum in singulis speciebus una perfectissima datur, à quâ reliquæ aut longiùs aut propiùs abeunt, quibusque alterutra pars earum quæ illam constituunt deest: fit præterea ut quidam non verà quidem virtute, aliquà tamen ex opinione hominum excellant, ut sunt divites, ob quam Reipubl. claves ipsis committantur; testimonium ejus perhibet Philosophus de Aristocrat. 4. Polit. 7. *Aristocratia igitur, inquit, merito appellatur ea, de quâ supra disputavimus. Ea enim Reip. administranda forma quæ constat ex optimis viris simpliciter & ex virtute non ad aliquem sibi propositum finem bonis, sola appellanda Aristocratia est. In hac enim solà simpliciter idem est vir bonus & bonus civis. At qui in aliis boni sunt, hi spectat à eorum ipsorum Reip. formâ boni sunt.* Unde Respubl. ad Oligarchiam inclinans, tam Aristocratia quam Oligarchia; ad Democratiam, etiam Politia nomen nonnunquam sortitur, v. c. l. 6. Pol. eademque Resp. diversis nominibus indigari solet, exemplo sit Lacædemoniorum Respubl. apud Aristot. & Tyrannidum quædam species Regnis annumerata.

XVII. Exinde quoque quod sicuti non virtutis & in subditos benevolentia, ita nec potestatis ubique in imperantibus æquales gradus reperiantur, est, quod cujusque Reipubl. non una & simplex sed varia sint species, Regni enim quinque genera recenset Philosophus, quorum ferè differentia à liberiori aut limitatâ regendi facultate dependet: in primo siquidem Spartanorum Reges illisve similes constituit, tales scilicet qui militari tantum imperio

264.

rio præsums, pacis verò tempore circumscriptam legibus potestatem obtinent. Horum quidam hæreditate, alij electione dignitatem consequuntur. In altero ordine Regna Barbarica collocat, quæ alijs gentibus quæ Græci non erant, usitata atque Tyrannidibus non admodum quidem dissimilia, legibus tamen & voluntati populorum essent conformia. Tertia classis Aristoteli *Æsymnetarum* est, & hi eadem cum proximis potestate præditi, nisi quòd in homines liberos imperium herile habeant. Quarta Heroum, i.e. eorum qui de populo benè meriti regnum & avitum & legitimum, sed ad certas res restrictum obtinebant. Quintum Regni genus dicitur *πανβασιλικόν*, quando penes unum ob virtutem ipsius communemque utilitatem omnium rerum absoluta est potestas. An autem plures Regni species dentur, quærere hîc licet, quod ferè non negaverim, cum videatur eas voluisse in medium afferre Aristot. quæ re ipsa exstarent, non quæ per naturam esse possent.

XIIX. Democratia & Oligarchia habent itidem varia genera, illarum autem differentia oriuntur ex eo, quòd in alijs æqualitas inter divites & pauperes, in alijs census licet exiguus, vel bona tantum fama prærequiratur; in quibusdam omnes nullius rei habito respectu evehantur ad magistratus, cum tamen hisce in omnibus leges valeant, in cæteris non: ut adeo 5. constituentur species. In Oligarchijs demandantur magistratus interdum ex divitijs non valde magnis; nonnunquam verò ex majoribus, in quâ & illi qui rerum potiuntur, successores sibi cooptant. Observatur in quibusdam etiam, ut filij in locum parentum præcisè succedant, exclusis ijs qui iisdem bonis pollent. Accidit quartò ut quod dixi in nonnullis obtineat Oligarchijs, spretâ tamen omnium legum auctoritate.

C 3

XIX. Quo-

XIX. Quoniam autem tria sunt quæ de Republ. certant, libertas, divitiæ & virtus; hisce diversi modè compositis oriuntur sive Aristocratia sive Politia. Præter enim Aristocratiam perfectissimam sunt mixtæ quædam, in quibus non solum virtutis ratio habetur, sed vel & divitiarum & populi simul, vel hujus & virtutis; atque hæ formæ Aristocratiæ dicuntur, uti quoque quæ à Politia ad Oligarchiam magis inclinant, Est enim & Politia nil aliud, quam mixtio ex Oligarchia & Democratiâ 4. Pol. 9. Ut vani adeoq; sint qui simplicibus annumerare eas, & alias præter has mixtas fingere conantur. Non sunt enim quæ misceri possint alia, quam ista tria, ex quibus aut Oligarchiam aut Politiam enasci necessum est; quamvis innumeris ferè modis compositio illa fieri possit. Regium verò, tale cum primis imperium, quod Laconicum dicitur, quibusvis Rerumpublicar. formis addi, & experientia & Philosophus noster testatur 3. Polit. 15. Tyrannidis ad ultimum tres nominantur species, quarum duæ & sub Regno collocatæ erant.

XX. Iam consequens est, ut quænam ratio sit Rerumpublicar. in gentibus, quantum id fieri ob defectum experientiæ potest, subjiciatur. Primò autem omnium notandum hic venit, non eodem modo connexos esse harum Rerumpublicar. status, scilicet quidam arctius coherent, atque unum adeò corpus constituunt, ad civitatem hac in parte quam proximè accedentes: alij verò laxiori vinculo junguntur, ut non nisi fœderis socij videri possint, qui quamvis consilium de summis negotijs simul instituant, nullos tamen communes magistratus habent; sed unaquæque provincia suis regitur magistratibus, diversis nonnunquam regiminum modis, atque tales vix est ut ad certam

certam Reipubl. formam redigere possis: de prioribus ergo videamus. Cum autem in civitate in univ[er]sum tria sint hominum genera qui Rempubl. sibi vendicant; divites nimirum & pauperes atq; virtute præditi; quos enim medios inter illos appellat Arist. ad alterutrum genus, divitum scil. vel pauperum, nunc hoc nunc illo respectu rectè retuleris: hinc quot sint ordines in gente, erit itidem investigandum.

XXI. Quod si verò omnium nationum Respublicas probè perlustres, ex partibus non admodum dissimilibus ijs, quibus civitates, constare illas affirmaveris. Sunt enim & gentibus, qui virtute aut divitijs vel libertate æstimentur. Hinc quemadmodum civitati ita & genti Rex præficitur, isque interdum cum Spartanorum illo bellicum tantum imperium gerente conferendus, interdum libero nutu & arbitrio omnia administrans. Item id evenire nonnunquam videmus, ut ab Optimatibus virtute solâ, vel insimul divitijs claris gubernari, amet ingens populus aliquis, indeque est quod alibi Principes perpetuo successionis jure, alibi electi Proceres, ut Senatores, Parlamenta summis rebus præsent. Diverse nimirum sunt Aristocratia species, prout supra ostensum est: nec virtus aut divitiarum unius sunt generis. Est enim virtus quædam antiqua, sunt divitiarum antiquæ, aliæ nuper paratæ, prout observatur 2. Rhet. c. 16. Cumque illi qui summis natalibus clarent inter gentes, & majorum & propriâ virtute ut plurimum gaudeant, divitiasque in bonis paternis immobilibus frequentissimè possideant, præ reliquis hi virtutis aut divitiarum nomine extolluntur, nec causæ quicquam subest, ut hisce imperium obtinentibus, novam quis Reip. formam comminiscatur. Nam generis splendor & nobilitas

nobilitas inquit Philosoph. 4. Pol. 8. nil aliud est quam divitiarum
antiqua & virtus v. c. 1. l. 5. Pol. & c. 15. l. 2. Rhet. Ut autem
divites in civitatibus ita & in gentibus proceres differunt:
illic non modo ex maximis divitijs, sed aliquando & ex
mediocribus, non raro ex parvis summi honores deferun-
tur, ut plurimi possint Reip. esse participes. Neque aliter
apud gentes fit, cum & infimæ nobilitatis homines rerum
potiantur nonnunquam. Illud autem, quod notat Ari-
stot. 5. Pol. 6. omninò hîc tenendum: alios alijs interdum
magis esse cives, atque Oligarchiam Oligarchiæ inseri:
quod hodieque in magnis Rebus publicis fieri, nemo non
exploratum habere potest.

XXII. Dicendum nunc de civitatibus quæ Imperi-
orum magnorum partes sunt, ubi difficultas maxima oc-
currere videtur. Non enim usque adeo expeditum for-
tassis erit cum aliquâ singularis civitatis parte multas com-
ponere urbes, cum & in his divitum pauperumque inve-
niatur numerus, & aliæ Oligarchicè quædam Democra-
ticè eâdem in gente regantur. Interim cum omnes liber-
tatem summis studijs prosequantur, imperiumque supe-
riorum agrè perferant, non absque ratione Democraticis
respectu ad alios status habito comparari possent. Verum
enim vero nec iste Democraticorum ordo varietatis ex-
pers est: referuntur enim ad plebem non modò ij, qui civi-
tatem assiduè incolunt, ut mercaturam exercentes, ve-
rùm etiam agricolæ, adserente id Philosopho 4. Pol. 4. Pro-
inde in amplis regionibus meritò quoq; rustici siquidem
liberi sint, popularibus annumerantur. Dari verò ejus-
modi Respublicas in quibus unâ cum civitatibus rustici
comitiorum sunt participes, notum utique est. Mixtas
ex diversis Ordinibus frustra in gente quis desiderabit,
cum

cum nullam ferè simplicem inter omnes quotquot sunt hodiè in orbe potissimùm Christiano Repp. inveniri, visum sit quamplurimis.

XXIII. Perpensis Rerumpubl. formis, ad ea quæ sunt magis propria scientiæ legislatoriæ me convertam, ea scilicet quæ Reipubl. aut salutem afferunt aut interitum. Ex his enim uti jam suprâ notabatur, leges ejusmodi condî oportet, quæ res civitatibus salutare amplectantur, ruinamque secum trahentes omnibus modis evitent *6. Pol. 5.* Hujus autem materiæ quis non ingentem in magnis etiam imperijs usum agnoscat? Consideremus tantum seditonum illas omniumque malorum in Republ. origines, quis non historiæ mediocriter gnarus etiam gentes ad mutationem ruinamve sui status sæpiùs hinc impulsas esse, ingenuè fatebitur? Sunt autem seditonum causæ præcipuæ Aristoteli: Contumelia civibus illata à magistratibus. Cupiditas horum nimia, & avaritia. Studium honoris immodicum. Vnius aut quorundam incrementum, & potentiæ augmentum. Metus nonnunquam pænæ, quo ultima quæque tentare adiguntur homines. Non rarò quoque contemptus occasionem mali præbet, dum plures à dignitatibus excluduntur: aut incuria in promovendis ijs ad magistratus amplissimos, qui à Republ. alieno sunt animo. Illud *μικρόν* seu negligentia in parvis rebus, morbus Rebuspublicis quo minùs prævisus, eo exitiosior existens: ultimò est dissimilitudo sive gentis, sive loci; quando nimirum peregrini in civitatem admittuntur, aut hæc locis disjuncta est, ut non una sit civitas. Est & alia dissimilitudo nempe morum, fons discordiæ; cui hodiè diffidia circa religionem addere non immeritò licet.

XXIV. Conservantur e contrario civitates horum
con-

contrarijs. Speciatim hæc observari suadet Philosophus:
Ne quid etiam minimum contra ll. fiat: neque parvi res
momenti negligantur. Ne illis qui falsis detrectatio-
nibus civium animos alienare student, fides habeatur.
Ut terror nonnunquam civibus incutiatur. Nobili-
um contentiones statim legibus coërceantur. Nemo
nimis est augendus. Honores potius breves & diuturni
quàm magni & breves deferantur. Aut si in his peccatum
fit, non omnes uno tempore, sed sensim adimantur. A
parte civitatis ob prosperam fortunam superbiente cave-
re oportet. Magistratus rempublicam quæstui habere,
nullo modo velint videri. In omnibus Rebus publicis ijs
qui sunt ab imperio exclusi, in alijs rebus aut æquales, aut
primas partes concedere è re est &c. His addantur & alia
nonnulla præcepta ad singulas etiam formas pertinentia,
quæ *lib. 5. & alijs Polit.* traduntur, & quantum ad gentis
cujusdam conservationem conducant experientia edoce-
bit. At quid mirum, scita hæc gentium Rebus pp. usui esse,
cùm & in domesticis societatibus gubernandis quædam
eorum commodè locum inveniant?

XXV. Neque tamen omnia applicari posse ex supe-
rioribus constabit: quippe quædam civitatis sunt propria,
neque extendi ultrà hanc possunt. In quantum ergò
gentium societas à civitate differt, in tantum à legibus
huic præscriptis recedi debet: istum autem modum usus
& prudentia dictare quam optimè poterunt. Interim præ-
reliquis huc transferri possunt quæ de Monarchiâ conser-
vandâ differit Aristot. cum & genti Regni forma quam ma-
ximè sit accommodata. Est enim finis hujus societatis se-
curitas; hæc autem non nisi bello potest obtineri, ad quod
unum requiritur caput: neque tamen propterea pacis stu-
dia

272.
dia omittenda Regibus; verum potius universaliter virtutis cura ab ipsis habenda erit. Unde jam dignitas illius Reipubl. in qua tota gens confociata vivit, elucet, cui non solum virtuti suum in modum operam navare, sed & externorum bonorum haud minimo, securo nimirum otio frui concessum. Et ut quod res est dicamus, non modo utile est tale imperium, sed etiam justum: Nonne enim justum magis erit, postquam spes impetrandi optimam illam Remp. decollat, totam gentem aequali conditione atque libertate censeri, quam integram ejusmodi nationem, pluresve uni inservire civitati, quemadmodum Romanae orbis terrarum olim capiti accidebat? Praeterea agenda beatæ omnibusque instructæ vitæ copia genti hinc suppetit, quoniam in civitates illa plerumque est distincta. Imò & Græcis suis talis societatis ineundæ auctor quasi videtur esse Aristot. 7. Polit. 7. innuens Græcorum nationem omnibus posse imperare, si unam Reipubl. formam constituent: modo imperium in alios quærere, licitum aut salutare civitati existimaverit. Quod tamen exijs, quæ cap. 2. ejusdem lib. & alijs in locis enunciaverat, haud videtur voluisse. Quod si non omnibus imperare felicem reddit Rempubl. infelicem certe efficit, si cuivis exposita periculo sit, aut servire cogatur. Illud quæri hinc possit, an non quædam uti civitas, ita & gens peculiaria, & usui hujus societatis sigillatim inservientia habeat, quæ licet non ad scientiam propriè dictam redigi, universalibus tamen propositionibus includi possint? quod quidem alijs cogitandum relinquo, neque tamen id magnopere negandum videtur.

D

XXVI. Post-

XXVI. Postquam prudentiæ speciem præstantissimam legislativam absolvimus, superest, ut alteram quam civilem Aristot. vocat, & hinc brevibus pertractemus. Quamvis verò & civilis latè sumpta de legislativâ prædicetur, hinc tamen in specie ita dicta, ab illâ discernitur, & ad eam quæ duas iterum diversas in se species continet consultatricem & judicatricem restringitur, idque propterea, quoniam hæ in solis singularibus, quod prudentiæ est præcipuum, & in agendo tota versatur; aliter ac legislativa quæ, mediante propositiones universales nempe leges producuntur.

XXVII. Quò autem in naturam prudentiæ deliberativæ, consultationisque commodè penetremus, principio de rebus quæ sub eam cadant, dicendum erit: illud autem aliunde quàm per experientiam sciri non potest. In universum igitur res vel sunt necessariae vel contingentes. De illis sive necessariò existant, sive ob quandam necessitatem fiant, quemadmodum motus revolutionesque siderum, haud deliberant homines qui quidem sanâ mente sunt præditi: neque enim eorum qui rectâ ratione non utuntur conceptus, hinc quicquam faciunt. Contingentium quædam à naturâ sunt v. g. tempestates, pluvia, serenitas; alia à fortunâ, sicuti thesauri inventio; nonnullæ denique ab hominibus proficiscuntur quæ humanæ appellari possunt. Atque de prioribus itidem consultatio nulla, sed de humanis tantummodo, at ne de ijs quidem omnibus instituitur: eorum enim quædam in nostrâ potestate minimè sita sunt. Relinquitur ergò consultationis objectum in ijs quæ à nobis fieri possunt.

273.
sunt, quærendum esse. Verumtamen & hæc ipsa in-
distincte in deliberationem apud prudentes venire
nequeunt. Sunt enim nonnulla quæ mediante cer-
tissimâ scientiâ absolvuntur, quâ satis cognitâ super-
vacanea est consultatio: ita qui novit literarum pin-
gendarum artem quomodo hæc vel illa sit scribenda
non quærit. Præter verò jam enarrata, ea quæ sub
nostram cadunt potestatem, vel sunt fines, vel media,
de finibus pari modo deliberare supersedemus: quis
enim Medicus an sanaturus sit, vel Orator an sit persua-
surus deliberet?

XXIIIX. Quare ad ultimum omnis consultatio
his limitibus constringitur; posito nempe quodam cer-
to fine in rebus contingentibus quæ in nostrâ pote-
state sunt, non tamen semper eodem modo fiunt, in-
quirimus quomodo & quibus medijs ad eundem per-
venire possimus, & si pluribus illum medijs impetrare
licet, quodnam eorum sit, quo facillimè id efficiatur.
Invento jam quod finem producat, porrò indagatur,
quo rursus posito illud ipsum ponatur, donec ad pri-
mum aliquod quod in nostrâ potestate est pervenia-
mus. Quod ergo est inveniendi ultimum, id agenti fit
primum. Hinc consultatio similis est resolutioni di-
agrammatis 3. Eth. 3. & 1. Magnor. Moral. 18. v.g. Propo-
nit quis inquirendum, quare quatuor anguli in qua-
drangulis sint quatuor rectis æquales? Quæro ergò
quo posito, quadrangulo insint 4. recti? Reperio hoc,
quòd nimirum omne quadrangulum in 2. triangula re-
solvi possit, si ab uno angulo ad oppositum alterum
ducatur linea recta: quòd si enim singuli trianguli pla-
ni continent 2. rectos, necesse est omnem figuram quæ

D 2

2. tri-

2. triangula comprehendit, 4. rectos continere. Cognito ergò, quòd posito hoc, si triangulum omne habeat 3. angulos duobus rectis æquales, etiam omne quadrangulum 4. rectos habiturum sit; porro quæro quo posito omne triangulum planum tres angulos duobus rectis æquales contineat? Nimirum si habeat 3. angulos æquales duobus super lineam rectam descriptis. Ponamus hoc primum esse; & erit ergò problema propositum ad sua prima reductum, quod *ἀναλυτικόν* vocamus. Eodem sese modo res habet in consultationibus: differentia tamen est inter resolutionem diagrammatis interque consultationem: in mathematicis enim idem est principium, semperque permanens ad quod resolvendo progredimur. At in deliberationibus principium quod inquirimus non est idem, sed indefinitum, ratione hominum circumstantiarumque variarum. Hinc in ijs versari consultationem Philosophus perhibet, in quibus est indefinitum seu indeterminatum. Tendunt autem consultantes ad aliquod principium, quod, uti dictum est, in potestate ipsorum vel amicorum est impetrare; aut si perveniunt ad aliquod de quo adipiscendo desperant, agendo desistunt. Vnde verò universalia deliberantes petere debeant, quæstio hinc annexenda maxime necessaria est: nulla siquidem scientia, vel consultandi artificium edocet, vel eorum, quæ deliberationi subjacent, mentionem dignam facit. Deliberatur autem de rebus publicis; de bello & pace; de custodia regionis; de ijs quæ importantur & exportantur, & de legum constitutione. Cumque hæc omnia ad Politicam pertinere dicantur *1. Rhet. 4. maximam*

274.
mam exinde Politices partem deperditam esse cogno-
scitur, nullâ nisi legumferendarum scientiâ superstitè.
Defectus tamen iste quin aliunde, præcipuè ex histo-
riâ possit suppleri, non est quod dubitemus.

XXIX. Non parvum etiam momentum ad regi-
men civile affert prudentia judiciaria; hac enim de
causâ maximorum bonorum auctorem eum fuisse tra-
dit Philosophus *1. Polit. 2.* qui primus civitatem insti-
tuerit, quod per eundem introducta & judicia fuerint,
quibus mediantibus in lucem protrahatur justum, di-
scordiisque finis imponatur. Quamvis verò monen-
te eodem *1. Rhet. 1. LL.* ita præscribendæ sint, tanta-
que ipsarum copia esse debeat, ut pleraq; ipsæ decident,
quamque paucissima judicis arbitrio relinquunt, (*qui*
enim inquit ille 3. Pol. 16. mentem imperare jubet, is Deum
& LL. imperare videtur jubere: qui verò hominem jubet ad-
dit & feram: Destituuntur namque LL. affectibus; ho-
mines vero iisdem laborant) quia tamen omnia legi-
bus completi LLator nequit, prudenti judicis arbitrio
multa sunt committenda. Ita nimirum res sese habet:
prudencia omnis etiam judiciaria in quâdam consistit
consultatione, estque prudentis, consilio & ratiocinan-
do invenire ea quæ arte non continentur, in quibusque
ambigere solemus, *l. c. 1. Magnor. Moral. 18. 3. Eth. 3. & 6.*
Eth. 5. Quemadmodum ergò consultantis finis certus
est propositus, ita & ei qui judicat: finis autem illius est
verum in ijs de quibus dubitant & certant actor &
reus.

XXX. Veritas porrò in duobus inquiritur, pri-
mò in universalibus; deinde in factis quod quale sit ex
circumstantiis varijs colligitur. Atque primum quod

D 3

atti-

attinet, verum utiq; est, articulos omnes legibus com-
prehendi, imò mediante interpretatione extensivâ
commodè ex ijs deduci non posse: sunt enim casus sin-
gulares infiniti, ll. autem de ijs, quæ ut plurimum eve-
niunt, tantummodo constituuntur, *l. 3. cum seqq. ff. de*
LL. Licet autem quid justum sit vel injustum ex legi-
bus constet, neque de eo disceptetur, an tamen factum
sub lege possit subsumi adhuc obscurum est. Hinc for-
tasse quæstio de facto judici necessariò comittenda vi-
detur. Verùm & modum inquirendi veritatē facti pro-
cessus legibus & consuetudine introductus hodiè tra-
dit, in quo ideo nullâ opus est consultatione, neq; per
consequens prudentiâ, sed tantum recto de præscriptis
à Legislatore iudicio. Vnde in ijs tantum locis pru-
dentiæ iudicis relinquitur in quibus ll. & consuetudo
deficiunt. Nam quando ille ex legibus latis vel de pro-
cessu, vel de rebus in iudicium deductis procedit, arbi-
trium ipsius limitatum seu regulatum est, uti Accursius
loquitur *in l. fideicommissa §. quanquam verb. arbitrium de*
Leg. 3. Tenetur enim restringere & corrigere ll. quo-
ties opus est, ita, quemadmodum restrinxisset eas ipse
Legislator si præsens esset. Vbi sine legibus imperat
penes quem iurisdictio est, solâ prudentiâ judiciariâ o-
mnia absolvit, quia sine, quem dixi esse veritatem justi
& facti cognoscere, sibi proposito, media ad illum du-
centia ipsemet inquirat, eligitque. De hac prudentiâ
verò cuius non nisi vestigia apud Philosophorum Prin-
cipem extant, plura dicere temeritatis fuerit. Quæ iti-
dem circa priores prudentiæ species cum primis le-
gislatoriam disputari plura deberent, & quomodo
præterea differant ratione singularum Reipubl. par-
tium

475.
tium, senatus puta, magistratum, atque judiciorum
gentis societas & civitas, cum latius se hæc diffun-
derent, quam ut experientiam aut otium istis par-
afferre possimus, in aliud tempus ea rejicienda me-
rito fuerunt. Hæc itaque pro instituti ratione
pauca proposuisse sufficiat.

COROLLARIA.

I.

*Virtus imperantium & parentium specie diver-
se sunt.*

II.

*Virtus in Ethicis definita imperantium propria
est.*

III.

Legum finis est justitia universalis.

IV.

*Etiam quod tyrannidem conservat justum est li-
cet simpliciter sit injustum.*

V.

*Principia juris naturalis non annascuntur ho-
mini.*

VI.

*Principia alicujus scientie non nisi per experien-
tiam comparantur.*

VII.

*Nulla Reip. forma quamvis bona ubique justa
atque conveniens est.*

IIIX.

II X.

Testimonia auctorum nihil probant scientificè.

IX.

Licet in rectis Rebus publicis imperantes sint propter subditos, non tamen hinc sequitur penes hos esse semper summam potestatem.

X.

Dominium rerum à naturâ est.

XI.


Vsucapio & præscriptio non quidem naturæ, at tamen gentium juris possunt esse.

XII.

L. Falcidia nondum naturæ convenienter, satis coarctavit legandi facultatem.








Helmsstedt, Diss., 1653/54


ULB Halle
004 988 256

3



TA-OL

1017





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

O POLITICA
 E
 CIVITA=
 TIVM, POTIS.
 NE PRVDENTIAE
 AE DIVERSO
 MILI
 A M
 NO NVMINE
 RESIDIO
esultissimi atque
issimi
 S A FELDEN
 Mathematicum in
 fforis ceber-
 c.
ioni submittit
 S von Bernstorff
 Februar.
 TADI,
 VLLERI Acad. typ.
 IO C LIV.

1654, 2

1256

13

5